

AB

47113

Tresor

C. e. 55

90k


~~Antology~~  
~~H. G. 30~~

~~2 N. 88.~~

# 2 c 87

†  
D





CLARISSIMI

VIRI D. ANDREAE

ALCIATI EMBLE-  
MATVM LIBRI

DVO.

\*



*Joan. Simi Zachary*

LVGDVNI,  
Apud Ioan. Tornæsum, & Gu-  
lielmum Gazeium.

1549.

*De Joanne Alciato  
J. V. de hoc libro  
F. de ...  
A. de ...*





CLARISS. VIRI D.

ANDR. ALCIATI IN LI-  
brum primum Emblematum præ-  
fatio, ad D. Chonradum  
Peutingerum Au-  
gustanum.

\*

*Dum pueros iuglans, iuvenes dum tessera fallit,  
Detinet & segnes chartula picta viros:  
Hæc nos festinis Emblemata cudimus horis,  
Artificum illustri signaq; facta manu.  
Vestibus vt torulos, petasis vt figere parmas,  
Et valeat tacitis scribere quisq; notis.  
At tibi supremus pretiosa nomismata Cæsar,  
Et veterum eximias donet habere manus.  
Ipse dabo vati chartacea munera vates,  
Quæ Chonrade mei pignus amoris habe.*





Andreas Alciati Em-  
BLEMATVM LIBER

PRIMVS.

Ad illust. Maximil. ducem Mediol.  
Emblema


I.



*Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,  
Est gentilitijs nobile stemma tuis.  
Talia Pellæum gessisse nomismata regem,  
Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus.  
Dum se ammone satir, matrē anguis imagine lusam,  
Diuini & sobolem seminis esse docet.  
Ore exit, tradunt sic quosdam enitier angues:  
An quia sic Pallas de capite orta Iouis?*

A 2

## Foedera.



Hanc citharam, à lembi quæ forma halieutica fertur,  
 Vendicat & propriam Musa Latina sibi,  
 Accipe Dux, placeat nostrū hoc tibi tēpore munus,  
 Quo noua cum socijs fœdera inire paras.  
 Difficile est, nisi docto homini, tot tendere chordas:  
 Vnaq; si fuerit non bene tenta fides,  
 Rupta'ue (quod facile est) perit omnis gratia conchæ,  
 Illeq; præcellens cantus, ineptus erit.  
 Sic Itali coeunt proceres in fœdera: concors,  
 Nil est quod timeas, si tibi constet amor.  
 At si aliquis desciscat (vri plerunq; videmus),  
 In nihilum illa omnis soluitur harmonia.

In silentium.

III.



Cum tacet, haud quicquam differt sapientibus amēs,  
 Stultitiae est index linguaq; voxq; sua.  
 Ergo premat labias, digitoq; silentia signet,  
 Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

A 3

1 5 \* 5 6

T. N. N. P.

Casp. Haldeberger.



Etiam ferocissimos domari. IIII.



Romanum postquam eloquium, Cicerone perempto,  
 Perdiderat patriæ pestis acerba suæ:  
 Inscendit currus victor, iunxitq; leones,  
 Compulit et durum colla subire iugum:  
 Magnanimos cessisse suis Antonius armis,  
 Ambage hac cupiens significare duces.

Gratiam referendam.

v.



Aërio insignis pietate Ciconia nido,  
 Inuestes pullos pignora grata fouet.  
 Taliaq; expectat sibi munera mutua reddi,  
 Auxilio hoc quoties mater egebit anus.  
 Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum  
 Corpora fert humeris, præstat et ore cibos.

Par pari referre dñ licet Libert<sup>A 4</sup>

1 - 5. **SC** 5. 6.


A . A . A

Gruik Volmar. Rus? Rotmiles?

Amstelred 13 August

## Concordia.

VI.



Cornicum mira inter se concordia vitæ est,  
 Inq; vicem nunquam contaminata fides.  
 Hinc volucres hæ sceptrâ gerunt, quòd scilicet omnes  
 Consensu populi stantq; caduntq; duces:  
 Quem si de medio tollas, discordia præcep  
 Aduolat, & secum regia fata trahit.

1 3 4 6

D 2 5

Concordia res parua crescunt,  
 discordia maxima dilabuntur.  
 Theodoricy flade Tremis.

Potentissimus affectus amor. VII.



*Aspice ut inuictus vires auriga leonis,  
 Expressus gemma pugio vincat amor:  
 Utq; manu hac scuticam teneat, hac flectat habenas,  
 Utq; sit in pueri plurimus ore decor.  
 Dira lues procul esto, feram qui vincere talem,  
 Est potis: à nobis temperet an'ne manus?*

A 5

t,  
my.



Non vulganda consilia. VIII.



Limine quod cæco, obscura & caligine monstrum  
 Gnosiacis clausit Dædalus in latebris:  
 Depictum Romana phalanx in prælia gestat,  
 Semiuiroq; nitent signa superba boue.  
 Nosq; monent, debere ducum secreta latere  
 Consilia, auctori cognita techna nocere.

1. 5. F. 5. 6.

T. 1. 2. 7.

Wolff. Volmar. Ruff

Emittit:

Wolf. Volmar. Ruff  
 777. 9551

In victoriam dolo partam.

IX.



*Aiacis tumulum lacrymis ego perluo virtus,  
 Heu misera albentes dilacerata comas.  
 Scilicet hoc restabat adhuc, vt iudice Græco  
 Vincerer, & causa stet potiore dolus.*

Reuerentiam in matrimonio  
requiri.

X.



*Cum furit in Venerem pelagi se in littore sistit  
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit:  
Muranamq; ciens, ingentia sibila tollit,  
At subito amplexus appetit illa viri.  
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniunx  
Alternum debet coniugi & obsequium.*

In auaros, vel quibus melior conditio ab  
extraneis offertur. XI.



*Delphini insidens vada cerula sulcat Arion,  
Hocq; aures mulcet, frenat & ora sono.  
Quàm sit auari hominis, nō tam mēs. dira ferarū est,  
Quiq; viris rapimur, piscibus eripimur.*

Amicitia etiam post mortem  
durans.

XII.



Arentem senio, nudam quoq; frondibus vltimum,  
Complexa est viridi vitis opaca coma:  
Agnoscitq; vices nature, & grata parenti  
Officij reddit mutua iura suo.  
Exemploq; monet, tales nos querere amicos,  
Quos neq; disungat foedere summa dies.

I. V. N. A.

Joannes Colonus Halbersten  
densis Saxo  
Bisungib. Anno 1556

Nec verbo nec facto quenquam  
lædendum.

XIII.



Assequitur, Nemesisq; virum vestigia servat,  
Continet & cubitum, duraq; fræna manu.  
Ne malè quid facias, ne'ue improba verba loquaris:  
Et iubet in cunctis rebus adesse modum.

+ . 1 . 5 . \* . 5 . 6 . +  
S . C . P .  
Joann: Rosetus Silbissius.  
Bituricensis. 9. Augustij.  
Quod Sit gott

Desidiam abiiciendam.

XIIII.



Quisquis iners abeat, in chœnice figere sedem  
 Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.  
 Surge igitur, duroq; manus adsuesce labori,  
 Det tibi dimensos crastina vt hora cibos.

1. 5x V x 5 6.

V. H. P.

Balthasar Saxo Erphur:  
Manus.

Paupertatem summis ingeniis obesse  
ne prouehantur.

XV.



*Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas:  
Ut me pluma leuat, sic graue mergit onus.  
Ingenio poteram superas volitare per arces,  
Me nisi paupertas inuida deprimeret.*

1 5 5 7. B

*Cogitata difficillima speranda optima,  
ferenda quaecumq.*

*Rupert/ finck Dantiscanus.*

*zu Bringen in Gottsal.*

## In occasionem.

XVI.



Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria: tu quis?  
 Cuncta domans capti temporis articulus.  
 Cur pinnis stas? usque rotor. talaria plantis  
 Cur retines? passim me leuis aura rapit.  
 In dextera est tenuis dic unde nouacula? acutum  
 Omni acie hoc signum me magis esse docet.  
 Cur in fronte coma? occurrens ut prenda. at heus tu  
 Dic cur pars calua est posterior capitis?  
 Me semel alipedem si quis permittat abire,  
 Ne possim apprenso postmodò crine capi.  
 Tali opifex nos arte, tui causa, edidit hospes,  
 Utq; omnes moneam, pergula aperta tenet.


1558.

D.V.V.S.

Sebast: Willinger: Sikelius.

Ocnī effigies, de his qui meretricibus  
donant, quod in bonos vſus  
verti debeat.

XVII.



*Impiger haud cessat funem contexere sparto,  
Humidaq; artifici iungere fila manu.  
Sed quantum multis vix torquet strenuus horis,  
Protinus ignavi ventris asella vorat.  
Fœmina iners animal, facili congesta marito  
Lucra rapit, mundum prodigit inq; suum.*

B 2

Virtuti fortuna comes. XVIII.



*Anguibus implicitis geminis caduceus alis,  
 Inter Amaltheæ cornua rectus adest.  
 Pollentes sic mente viros, sandiq; peritos  
 Indicat, vt rerum copia multa beet.*

1556

A T M R

Christophorus Herderianus  
 Fulherstadensis Saxo

Ex pace vbertas.

XIX.



Grandibus ex spicis tenues contexe corollas,  
 Quas circum alterno palmite vitis eat.  
 His compta Alcyones tranquilli in marmoris vnda  
 Nidificant : pullos inuolucresq; fouent.  
 Latus erit Cereri, Baccho quoq; fertilis annus,  
 Aequorei si rex alitis instar erit.

B 3

+ . 1 . 5 . 7 . 5 . 6 . +

. T . G . A . S .

Christo: V Schumburg  
 Bunary.

Quod die per Aurelia



In eos qui supra vires quicquam audent.

XX.




Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno  
 Sub picea, & clauam ceteraq; arma tenet,  
 Alcidem Pygmaea manus prosternere letho  
 Posse putat, vires non bene docta suas.  
 Excitus ipse, velut pulices, sic proterit hostem,  
 Et seui implicitum pelle leonis agit.

15 x 56.

Casparius Dreylingius  
 Suae Lemis.

Virtutis Gloria Comes.

Princeps subditorum incolumita-  
tem procurans. XXI.



*Titani quoties conturbant aequora fratres,  
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat.  
Hanc pius erga homines Delphin cōplectitur, imis  
Tutius ut possit figier illa radis.  
Quam decet hac memores gestare insignia Reges,  
Anchora quod nautis, se populo esse suo!*

B 4

+ . 5 \* 5 6 +

E. M. W.

George von Schonbrunn

Quade Dix gott

## Mutuum auxilium.

XXII.



Loripedem sublatum humeris fert lumine captus:  
 Et socij haec oculis munera retribuit.  
 Quo caret alteruter, concors sic praestat uterq;  
 Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

1556.

Zach: B. F. Moibanus J. ratis! +

Ex arduis perpetuum nomen. XXIII.



Crediderat platani ramis sua pignora passer,  
 Et bene, ni sauo visa dracone forent.  
 Glutyt hic pullos omnes, miseramq; parentem  
 Saxeus, et tali dignus obire nece.  
 Hec, nisi mentitur Calchas, monumenta laboris  
 Sunt longi, cuius fama perennis eat.

B 5

15 ND 50  
 I. G. G. V.  
 R. v. v. Gulzbach.

Aurel.  
 25 Aug.

Obdurandum aduersus  
vrgentia.

XXIIII.




Nititur in pondus palma, & consurgit in arcum,  
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.  
Fert & odoratas bellaria dulcia glandes,  
Queis mensas inter primus habetur honos.  
I puer, & reptans ramis has collige mentis  
Qui constantis erit, premia digna feret.

+ 1 2 3 4 5 6 +  
w. G. w. w.  
So: st: a Pirhina  
Gnad In gott

## Tumulus meretricis.

XXV.



Quis tumulus? cui a urna? Ephyræ est Laidos. et non  
 Erubuit tantum perdere Parca decus?  
 Nulla fuit tum forma, illam iam carpserat ætas,  
 Iam speculum Veneri cauta dicarat anus.  
 Quid sculptus sibi vult aries, quem parte leana  
 Unguibus apprensū posteriore tenet?  
 Non aliter captos quod & ipsa teneret amantes,  
 Vir gregis est aries, clune tenetur amans.

## In parasitos.

X X V I.



Quos tibi donamus fluuiales accipe caneros,  
 Munera conueniunt moribus ista tuis.  
 His oculi vigiles, & forfice plurimus ordo  
 Chelarum armatus, maximaq; aluus adest.  
 Sic tibi propensus stat pingui abdomine venter,  
 Pernicesq; pedes, spiculaq; apta pedi.  
 Cum vagus in triuijs, menseq; sedilibus erras.  
 Inq; alios mordax scommata salsa iacis.

Concordia.

XXVII.



In bellum ciuile duces cum Roma pararet,  
 Viribus & caderet Martia terra suis:  
 Mos fuit in partes turmis coeuntibus hasdem,  
 Coniunctas dextras mutua dona dari.  
 Fœderis hæc species, id habet Concordia signum,  
 Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.

J S E S S  
 G. B. H.

Joannis Tho: Stockh/  
 Tirolensis Bituricensis  
 9. Augustij.



Quæ supra nos, nihil ad nos. XXVIII.



Caucasia æternum pendens in rupe Prometheus  
 Diripitur sacri præpetis vngue iecur.  
 Et nollet fecisse hominem, figulosq; perosus  
 Accensam rapto damnat ab igne facem.  
 Roduntur varijs prudentum pectora curis,  
 Qui cæli affectant scire deumq; vices.

1556.


Cogita æternitatem.

Bartholomæus Wagnerus.

Regiomontanus.

Parisijs. mense Augusto.

In amatores meretricum. X X I X.



Villose indutus piscator tegmina caprae,  
 Addidit vt capiti cornua bina suo,  
 Fallit amatorem stans summo in littore Sargum,  
 In laqueos simi quem gregis ardor agit.  
 Capra refert scortum, similis fit Sargus amanti,  
 Qui miser obscæno captus amore perit.

Georgius de Gabelentz p.  
 Patavij.

Albutii ad D. Alciatum, suadens, vt de tumultibus Italicis se subducatur, & in Gallia profiteatur. XXX.



Quae dedit hos fructus arbor, caelo aduena nostro,  
 Venit ab Eoo Persidis axe prius:  
 Translatu facta est melior, quae noxia quondam  
 In patria, hic nobis dulcia poma gerit.  
 Fert folium linguae, fert poma simillima cordi,  
 Alciate hinc vitam degere disce tuam.  
 Tu procul à patria in pretio es, maiore futurus,  
 Multum corde sapis, nec minus ore vales.

A. 1557. Mense Martio.  
 viue, vide, tace.

Fabianus Stöber.  
 Burussus

Paruam culinam duobus ganeonibus  
non sufficere. XXXI.



*In modicis nihil est quod quis lucretur, & vnum  
Arbustum geminos non alit Eirythacos.*


A L I V D.

*In tenui spes nulla lacri est, vnoq; residunt  
Arbusto geminae non bene Ficedule.*

C

In Deo lætandum.


XXXII.



*Aspice ut egregius puerum Iouis alite pictor  
 Fecerit Iliacum summa per astra vehi.  
 Quis ne Iouem tactum puerili credat amore?  
 Dic hac Meonius finxerit vnde senex?  
 Consilium mens atq; Dei cui gaudia præstant,  
 Creditur is summo raptus adesse Ioui.*

*X . 1 . 5 . 5 . 6 . X  
 . P . S . D .  
 Job Meubling  
 Augusta:*

## Inuiolabiles telo Cupidinis. XXXIII.




Ne dirus te vincat Amor, neu fœmina mentem  
 Diripiat magicis artibus vlla tuam:  
 Bacchica auis præsto tibi Motacilla paretur,  
 Quam quadriradiam circuli in orbe loce:  
 Ore crucem & cauda, & geminis vt complicet alis,  
 Tale amuletum carminis omnis erit.  
 Dicitur hoc Veneris signo Pegasus Iason  
 Phasiacis ledi non potuisse dolis.

C 2

Spes proxima.

XXXIII.



Innumeris agitur Respublica nostra procellis,  
 Et spes ventura sola salutis adest:  
 Non secus ac naui, medio circum equore venti  
 Quam rapiunt, salsis iamq; fatiscit aquis.  
 Quod si Helena adueniant lucentia sydera fratres,  
 Amisos animos spes bona restituit.

+ 15 \* 6 0 +  
 S. M. Chrs.  
 Georg: Nesselius. D.  
 Argentinensis.  
 Spira.

Non tibi, sed religioni. XXXV.



Isidis effigiem tardus gestabat asellus,  
 Pando verenda dorso habens mysteria.  
 Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat,  
 Piasq; genibus concipit flexis preces.  
 Ast asinus tantum præstari credit honorem  
 Sibi, & intumescit admodum superbiens,  
 Donec eum flagris compescens dixit agaso,  
 Non es Deus tu aselle, sed Deum vehis.


C 3

1 5 5 7

M. O. O

R. a Stolzingen.

In illaudata laudantes. XXXVI.



*Ingentes Galatūm semer mi milite turmas,  
 Spem præter trepidus fuderat Antiochus.  
 Lucarum cum seua boum vis, dira proboscis,  
 Tum primum hostiles corripuisset equos.  
 Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit,  
 Insuper & socijs occideramus ait,  
 Bellua seruasset ni nos fœdissima barrus:  
 Vt superasse iuuat, sic superasse pudet.*

Iusta vindicta.

XXXVII.




Dum residet Cyclops sinuosi in faucibus antri,  
 Hæc secum teneras concinit inter oues:  
 Pascite vos herbas, socijs ego pascar Achivis,  
 Postremumq; Vtin viscera nostra ferent.  
 Audijt hæc Ithacus, Cyclopaq; lumine cassum  
 Reddidit. en pœnas vt suus auctor habet!

C 4

Tandem tandem iustitia

obtinet.

XXXVIII.



*Aeacida Hectoro perfusum sanguine scutum,  
 Quod Graecorum Ithaco concio iniqua dedit,  
 Iustior arripuit Neptunus in equora iactum  
 Naufragio, ut dominum posset adire suum:  
 Littoreo Aiacis tumulo nanq; intulit vnda:  
 Quae boāt, & tali voce sepulcra ferit:  
 Viciſti Telamoniade tu dignior armis,  
 Affectus fas eſt cedere iuſtitia.*

1. 5. 5. 6.  
 v. 9. 9.  
 10: 5: i Kueringen 20.

In fertilitatem sibi ipsi damno-  
sam.

XXXIX.



Ludibrium pueris lapides iacentibus, hoc me  
In trivio posuit rustica cura nucem.  
Quæ laceris ramus, perstrictoq; ardua libro,  
Certatim fundis per latus omne petor.  
Quid sterili posset contingere turpius? eheu  
Infelix fructus in mea damna fero.

C 5

1 5 5 5  
v. v. v  
Sub: schützhayß.

## Fortuna virtutem superans. XL.



*Cæsareo postquam superatus milite vidit  
 Civili vndantem sanguine Pharsaliam:  
 Iam iam stricturus moribunda in pectora ferrum,  
 Audaci hos Brutus protulit ore sonos:  
 Infelix virtus & solis prouida verbis,  
 Fortunam in rebus cur sequeris dominam?*

Ex literarum studiis immortalitatem  
acquiri.

X L I.



Neptuni tubicen, cuius pars vltima cetum,  
Aequoreum facies indicat esse Deum:  
Serpentis medio Triton comprehenditur orbe,  
Qui caudam inserto mordicus ore tenet.  
Fama viros animo insignes, praëclaraq; gesta  
Prosequitur, toto mandat & orbe legi.

## Custodiendas virgines.

XLII.



Vera haec effigies innupta est Palladis, eius  
 Hic Draco, qui domina constitit ante pedes.  
 Cur diuae comes hoc animal? custodia rerum  
 Huic data, sic lucos sacraque; templa colit.  
 Innuptas opus est cura asservare puellas  
 Peruigili, laqueos undique; tendit amor.

Auxilium nunquam defi-  
ciens.

X L I I I.



*Bina pericla vnis effugit sedulus armis,  
Cùm premererq; solo, cùm premererq; salo.  
Incolumem ex acie clypeus me praestitit, idem  
Nauis fragum apprensus littora adusq; tulit.*

## Amor filiorum.

XLIII.



*Ante diem vernam boreali cana palumbes  
 Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet:  
 Mollius & pulli vt iaceant sibi vellicat alas,  
 Quis nuda hyberno deficit ipsa gelu.  
 Ecquid Colchi pudet, uel te Progne improba? mortem  
 Cum volucris propria prolis amore subit?*

15 A V A 50  
 S b v. Amenberg  
 O

Ex bello pax.

X L V.



*En galea intrepidus quam miles gesserat, & qua  
Sæpius hostili sparsa cruore fuit.*

*Parta pace apibus tenuis concessit in usum  
Alveoli, atq; fauos, grataq; mella gerit.*

*Arma procul iaceant, fas sit tunc sumere bellum,  
Quando aliter pacis non potes arte frui.*

Submouendam ignoran-  
tiam.

XLVI.



Quod mōstrū id? Sphinx est. cur cādida virginis ora,  
 Et volucrum pennas, crura leonis habet?  
 Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia: tanti  
 Scilicet est triplex causa: et origo mali.  
 Sunt quos ingenium leue, sunt quos blāda voluptas,  
 Sunt et quos faciunt corda superba rudes.  
 At quibus est notum, quid delphica littera possit,  
 Precipitis monstri guttura dira secant.  
 Nāq; vir ipse, bipesq;, tripesq; et quadrupes idē est,  
 Primaq; prudentis laurea, nosse virum.

Scinper presto esse in-  
fortunia.

X L V I I.



Ludebant parili tres olim atate puellæ  
Sortibus, ad Stygias quæ prior iret aquas.  
Ast cui iactato male cesserat alea talo,  
Ridebat sortis cæca puella suæ:  
Cum subito ic̄ta caput labente est mortua tecto,  
Solvit & audacis debita fata ioci.  
Rebus in aduersis mala sors non fallitur: ast in  
Faustis, nec precibus, nec locus est manui.

D

Mentem, non formam plus  
pollere.


XLVIII.



*Ingressa vulpes in Choragi pergulam,  
Fabre expolitum inuenit humanum caput  
Sic eleganter fabricatum, vt spiritus  
Solim deesset, caeteris viuisceret:  
Id illa cum sumpsisset in manus, ait:  
Hoc quale caput est! sed cerebrum non habet.*

In facile à virtute descen-  
scentes.

X L I X.



Parua velut limax Remora spreto impete venti,  
Remorumq; ratem sistere sola potest.  
Sic quosdam ingenio & virtute ad sidera vectos,  
Detinet in medio tramite causa leuis.  
Anxialis velut est, vel qui meretricius ardor  
Egregijs iuuenes senocat à studijs.

D z

Prudentes vino ab-  
tinent.

L.



*Quid me vexatis rami? sum Palladis arbor,  
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.*

1 5 \* 5 6  
A D E W  
Joan: Philippus a  
Mentzenger.

## In auaros.

L I.




Septitius populos inter ditissimus omnes,  
 Arua senex nullus quo magis ampla tenet:  
 Defraudans geniumq; suum, mensasq; paratas,  
 Nil præter betas, duraq; rapa vorat.  
 Cui similem dicam hunc, inopem quem copia reddit,  
 An'ne asino? sic est, instar hic eius habet.  
 Nanq; asinus dorso pretiosa obsonia gestat,  
 Seq; rubo, aut dura carice pauper alit.

D 3

Maturandum.

LII.



Maturare iubent properè & cunctarier omnes,  
 Ne nimium præceptis, neu mora longa nimis.  
 Hoc tibi declaret connexum Echeneide telum,  
 Hæc tarda est, volitant spicula missa manu.

W. V. Wind: N. P. Zinglerius. 1775

In astrologos.

LIII.



Icare per superos qui raptus & aëra, donec  
 In mare præcipitem cera liquata daret,  
 Nunc te cera eadem feruensq; resuscitat ignis,  
 Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.  
 Astrologus caueat quicquam prædicere, præceps  
 Nam cadet impostor dum super astra velit.

♂ 1 5 Ω 5 6<sup>D</sup> 4  
 Medio tutissimus ibis  
 Johan Dreyling Straßgen:

A minimis quoque timendum. LIIII.



Bellagerit Scarabeus, & hostem prouocat ultro,  
 Robore & inferior, consilio superat.  
 Nam plumis Aquile clam se neq; cognitus abdit,  
 Hostilem ut nidum summa per astra petat:  
 Qua; confodiens, prohibet spem crescere prolis:  
 Hocque modo illatum dedecus ultus abit.

+ 1556 +  
 M. G. H. E. N.  
 Ioannes Reutter,  
 Bauaricus.  
 Quod in Gott

Parem delinquentis & suasoris cul-  
pam esse.

L V.



*Praconem lituo perflantem classica victrix  
Captivum in tetro carcere turma tenet.  
Queis ille excusat, quòd nec sit strenuus armis,  
Vllius aut saevo laferit ense latus.  
Huic illi, Quin ipse magis timidissime peccas,  
Qui clangore alios æris in arma cies.*

D 5

Firmissima conuelli non posse. LVI.



*Oceanus quamuis fluctus pater excitet omnes,  
 Danubiumq; omnem barbare Turca bibas:  
 Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæsar  
 Dum Charolus populis bellica signa dabit.  
 Sic sacræ quercus firmis radicibus astant,  
 Sicca licet venti concutiant folia.*


## Cum Iaruis non luctandum. LVII.



*Aeacida moriens percussu cuspidis Hector,  
 Qui toties hosteis vicerat antè suos,  
 Comprimere haud potuit vocem insultantibus illis,  
 Dum curru & pedibus neſtere vincla parant,  
 Distrahite vt libitum eſt: ſic caſſi luce leonis  
 Conuellunt barbam vel timidi lepores.*

Aliquid mali propter vicinum  
malum.

LVIII.



Raptabat torrens ollas, quarum vna metallo,  
Altera erat figuli terrea facta manu.  
Hanc igitur rogat illa, velit sibi proxima ferri,  
Iuncta ut precipites vtraque sistat aquas:  
Cui lutea, Haud nobis tua sunt commercia curae,  
Ne mihi proximitas haec mala multa ferat.  
Nam seu te nobis, seu nos tibi conferat vnda,  
Ipsa ego te fragilis sospite sola terar.

1. 5.  5. 6.  
libilo In Extremis  
Iacob Singer

## In senatum boni principis. L I X.



Effigies manibus trunca ante altaria diuūm  
 Hic resident, quarum lumine capta prior.  
 Signa potestatis summe, sanctiq; senatus  
 Thebanis fuerant ista reperta uiris.  
 Cur resident? quia mente graues decet esse quieta  
 Iuridicos, animo nec variare leui.  
 Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se  
 Pollicitis flecti muneribusue sinant.  
 Cacus at est princeps, quòd solus auribus absque  
 Affectu, constans iussa senatus agit.

In deprehensum.

LX.



*Tam dudum quacunq; fugis te persequor, at nunc  
 Cassibus in nostris deniq; captus ades.  
 Amplius haud poteris vires eludere nostras,  
 Ficulno anguillam strinximus in folio.*

In fidem vxoriam.

LXI.



Ecce puella viro quæ dextra iungitur, ecce  
 Ut sedet, ut catulus lusitat ante pedes?  
 Hæc fidei est species, Veneris quam si educat ardor,  
 Malorum in læua non malè ramus erit:  
 Poma etenim Veneris sunt, sic Schenëida vicis  
 Hippomanes, petiit sic Galatea virum.

I. S. P. S. S. S. S.  
 W. W. G.  
 Wilh: Vo Kampers

Quod non capit Christus, rapit fiscus.

L X I I.



*Exprimit humentes quos iam madefecerat antè  
Spongiolis, cupidi Principis arcta manus.  
Prosehit ad summum fures quos deinde coërcet,  
Vertat ut in fiscum quæ malè parta suùm.*

Nec quæstioni quidem ceden-  
dum.

L X I I I.



Cecropia effictam quam cernis in arce Leanam,  
Harmodij, an nescis hospes? amica fuit.  
Sic animum placuit monstrare viraginis acrem  
More feræ, nomen vel quia tale tulit.  
Quòd fidibus contorta suo non prodidit vllum  
Indicio, elinguem reddidit Iphicrates.

E

In temerarios.

LXIII.



*Aspicias aurigam currus Phaethonta paterni  
 Igniuomos ausum flectere Solis equos:  
 Maxima qui postquam terris incendia sparsit,  
 Est temerè infesso lapsus ab axe miser.  
 Sic pleriq; rotis Fortune ad sidera Reges  
 Euecti, ambitio quos iuuenilis agit,  
 Post magnam humani generis clademq; suamq;  
 Cunctorum pœnas deniq; dant scelerum.*

## De Morte &amp; Amore.

L X V.



Errabat socio Mors iuncta Cupidine, secum  
 Mors pharetras, paruis tela gerebat Amor.  
 Diuertere simul, simul vna et nocte cubarunt,  
 Cecus Amor, Mors hoc tempore caeca fuit.  
 Alter enim alterius male prouida spicula sumpsit,  
 Mors aurata, tenet ossa tela puer.  
 Debit inde senex qui nunc Acheronticus esse,  
 Ecce amat et capiti florea ferta parat.  
 Ast ego mutato quia Amor me perculit arcu,  
 Deficio, iniiciunt et mihi fata manum.  
 Parce puer, Mors signa tenens victricia parce,  
 Fac ego amem, subeat fac Acheronta senex.

E 2

In formosam fato præ-  
reptam.


L X V I.



*Cur puerum Mors ausa dolis es carpere Amorem?  
Tela tua vt iaceret, dum propria esse putat.*

## In statuam Bacchi.

L X V I I.



Bacche pater quis te mortali lumine nouit,  
 Et docta effinxit hinc tua membra manu?  
 Praxiteles, qui me rapientem Gnosida vidit,  
 Atq; illo pinxit tempore qualis eram.  
 Cur iuuenis, teneraq; etiam lanugine vernat  
 Barba, queas Pylium cum superare senem?  
 Muneribus quandoq; meis si parcere disces,  
 Iunior & forti pectore semper eris.  
 Tympana non manibus, capiti non cornua desunt,  
 Quos nisi dementeis talia signa decent?

E 3

Hoc doceo, nostro quòd abusus munere sumit  
 Cornua, & insanus mollia sinistra quatit.  
 Quid vult ille color membris penè igneus? omen  
 Absit, an humanis vreris ipse focus?  
 Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit  
 Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.  
 Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit undis:  
 Qui non, ardenti torret ab igne iecur.  
 Sed nunc me doceas qui vis miscerier? & qua  
 Te sanus tutum prændere lege queat?  
 Quadrantem addat aqua, calicem sumpsisse falerni  
 Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.  
 Stes citra heminas: nam qui procedere tendit  
 Ultra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.  
 Res dura hæc nimium, sunt pendula guttura, dulcè  
 In fluis, heu facile commoda nulla cadunt.

In momentaneam felicita-  
tem.

L X V I I I.



Aëriam propter creuisse Cucurbita pinum  
 Dicitur, & grandi luxuriasse coma.  
 Cùm ramos complexa, ipsumq; egressa cacumen,  
 Se præstare alijs credidit arboribus.  
 Cui pinus, Nimum brevis est hæc gloria: nam te  
 Protinus adueniet quæ malè perdat hyems.

J. S. S. B. E 4

O. T. H.

Johannes Stöckle August.


Pietas filiorum in parentes. LXIX.



Per medios hosteis patriæ cum ferret ab igne  
 Aeneas humeris dulce parentis onus,  
 Parcite dicebat, vobis sene adorea raptò  
 Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.

1. 1 . 5 . M . 5 . 6.  
 5 . F . \* . M . R.  
 W . v̄ . Stotzingo.

Alius peccat, alius plectitur. LXX.



Arripit vt lapidem catulus morsuq; fatigat,  
 Nec percussori mutua damna facit:  
 Sic pleriq; sinunt veros elabier hosteis,  
 Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

E 5

1 5 5 6.

N. G. C.

James Schüring  
 Suacensis.

In studiosum captum amore. LXXI.



Immersus studijs, dicundo & iure peritios,  
 Et maximus libellio,  
 Heliodoran amat, quantum nec Thracius unquam  
 Princeps sororis pellicem.  
 Pallada cur alio superasti iudice Cypri?  
 Num sat sub Ida est vincere?

Antegus Amor virtutis alium Cupidinem  
superans. LXXII.



Aligerum aligeroq; inimicum pinxit Amori,  
Arcu arcum, atq; ignes igne domans Nemesis:  
Ut quæ alijs fecit patiatur, at hic puer olim  
Intrepidus gestans tela, miser lacrymat:  
Ter spuit inq; sinus imos (res mira) crematur  
Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

Vis amoris.

LXIII.



*Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne  
Dum demonstrat uti est fortior ignis Amor.*

Manet alta mente repostum.

EMBL. LIB. I.

77



5 6

v.

Iusta ultio.

5


LXXIII.

v

Ph: Gh:



Sövern.



Raptabat volucres captum pede coruus in auras  
Scorpion, audaci premia parta gula.  
Ast ille infuso sensim per membra veneno,  
Raptorem in stygias compulit vltor aquas.  
O risu res digna, alijs qui fata parabat,  
Ipse perit, proprijs succubuitq; dolis.

i s \* s 6

F . v . P .

Hans Dietrich von  
Wanga zu Ruben.

In eua qui truculentia suorum  
perierit.

LXXV.



*Delphinem inuitum me in littora compulit æstus,  
Exemplum infido quanta pericla mari.  
Nam si nec proprijs Neptunus parcit alumnis,  
Qui tutos homines nauibus esse putet?*

## Potentia Amoris.

LXXVI.



*Nudus Amor viden' vt ridet, placidumq; tuetur?*  
*Nec faculas, nec quæ cornua flectat habet.*  
*Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,*  
*Scilicet vt terræ iura det atq; mari.*

Quà dii vocant eun-  
dum.

LXXVII.



In triuio mons est lapidum, supereminet illi  
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.  
Mercurij est igitur tumulus. suspende viator  
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.  
Omnes in triuio sumus, atq; hoc tramite vitæ  
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

c 1 5 5 6  
Quia nos triuio vocat Deus et  
ferrina sequitur  
Nicolai Sibneris

In simulacrum Spei. LXXVIII.




Quæ dea tam lato suspectans sidera vultu?  
 Cuius peniculis reddita imago fuit?  
 Elpidij fecere manus, ego nominor illa,  
 Quæ miseris promptam Spes bona præstat opem.  
 Cur viridis tibi palla? quòd omnia me duce vident.  
 Quid manibus mortis tela refracta geris?  
 Quod viuos sperare decet, præcido sepultis.  
 Cur in dolioli tegmine pigra sedes?  
 Sola domi mansi volitantibus vndiq; noxis,  
 Ascraei vt docuit musa verenda senis.  
 Quæ tibi adest volucris? Cornix fidißimus oscen,  
 Est bene cum nequeat dicere, dicit erit.  
 Qui comites? bonus Euentus, præceptsq; Cupido,  
 Qui præeunt, vigilum somnia vana vocant.  
 Quæ tibi iuncta astat? scelerum Rhamnusia vindex,  
 Scilicet vt speres nil nisi quod liceat.

1 5 4 6 F  
 D. S. S  
 Ioan: Gartner Anger

Illicitum non speran-  
dum.

LXXIX.



*Spes simul & Nemesis nostris altaribus adsunt,  
Scilicet ut speres non nisi quod liceat.*


1. 5. 5. 6.

2. 8. M. H.

Hans. Rosf.

Pax.

LXXX.



Turrigeris humeris, dentis quoq; barrus eburni,  
 Qui superare ferox Martia bella solet,  
 Supposuit nunc colla iugo, stimulisq; subactus,  
 Casareos currus ad pia templa vehit.  
 Vel fera cognoscit concordēs vndiq; gentes,  
 Proiectusq; armis munia pacis obit.

F 2

Avregus id est, amor vir-  
tutis.

LXXXI.



Dic ubi sunt incurui arcus? ubi tela Cupido?  
 Mollia queis iuvenum figere corda soles.  
 Fax ubi tristis? ubi penna? tres vnde corollas  
 Fert manus? vnde aliam tempora cineta gerunt?  
 Haud mihi vulgare est hospes cum Cypride quicquam,  
 Vlla voluptatis nos neq; forma tulit.  
 Sed puris hominum succendo mentibus ignes  
 Disciplinae, animos astraq; ad alta traho.  
 Quattuor eq; ipsa texo virtute corollas,  
 Quarum quae Sophia est, tempora prima tegit.

· 1 5 5 6 ·

B · G · L · V ·


Georg: Lewkircher

Almangarius.

Aurora et Augustus.

## Signa fortium.


L X X X I I.



Quæ te causa mouet volucris Saturnia, magni  
 Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?  
 Hoc moneo, quantum inter aues ego robore præsto,  
 Tantum semideos inter Aristomenes.  
 Insideant timida timidorum busta columbae,  
 Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.

F 3

Qui alta contemplantur  
cadere. LXXIII.



*Dum turdos visco, pedica dum fallit alaudas,  
Et iacta alti uolam figit harundo gruem,  
Dipsada non prudens auceps pede perculit: vltrix  
Illa mali, emissum virus ab ore iacit.  
Sic obit, extento qui sydera respicit arcu,  
Securus fati quod iacet ante pedes.*

Impossibile.

LXXIII.



*Abluis Aethiopem quid frustra? ah desine, noctis  
 Illustrare nigrae nemo potest tenebras.*

F 4

Acre quandoq; salutem redi-  
mendam.

L X X X V.



*Et pedibus segnis, tumida & propendulus aluo,  
Hæc tamen insidias effugit arte fiber.  
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit  
Atq; abicit, sese gnarus ob illa peti.  
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,  
Et vitam vt redimas, hostibus æra dare.*

## Captiuus ob gulam. L X X X V I.



Regnator penus, & mense corrosor herilis  
 Ostrea mus summis vidit hiulca labris.  
 Queis tenerã apponens barbam falsa ossa momordit,  
 Illa recluserunt tacta repente domum.  
 Depransum & tetro tenuerunt carcere furem,  
 Semet in obscurum qui dederat tumultum.

F 5

Diues indoctus. LXXXVII.



*Tranat aquas residens pretioso in vellere Phryxus,  
 Et flauam impavidus per mare scandit ouem.  
 Exquidid est? vir sensu hebeti, sed diuite gaza,  
 Coniugis aut serui quem regit arbitrium.*

In adultores.

LXXXVIII.



Semper hiat, semper tenuem qua vescitur auram,  
 Reciprocatur chamaleon,  
 Et mutat faciem, varios sumitq; colores,  
 Præter rubrum vel candidum:  
 Sic & adulator populari vescitur aura,  
 Hiansq; cuncta deuorat,  
 Et solum mores imitatur principis atros,  
 Albi & pudici nescius.

Dulcia quandoq; amara  
fieri.

LXXXIX.



*Matre procul lieta paulum secesserat infans  
Lydius, hunc diræ sed rapuistis apes.  
Venerat hic ad vos placidas ratus esse volucres,  
Cum nec ita immitis vipera seua foret.  
Quæ datis ah dulci stimulos pro munere mellis,  
Proh dolor, heu sine te gratia nulla datur.*

Ferè simile ex Theocrito. X C.



*Alueolis dum mella legit, percussit Amorem  
 Furacem mala apes, & summis spicula liquit  
 In digitis, tumido gemit at puer anxius vngue,  
 Et quatit errabundus humum, Veneri q; dolorem  
 Indicat, & grauitè queritur, quòd apicula paruum  
 Ipsa inferre animal tam noxia vulnera possit.  
 Cui ridens Venus, Hanc imitaris tu quoq; dixit  
 Nate feram, qui das tot noxia vulnera paruus.*

In eum qui sibi ipsi damnum  
apparat.

XCI.



Capra lupum non sponte meo nunc vbera lacto,  
Quod malè pastoris prouida cura iubet.  
Creuerit ille simul, mea me post vbera pascet,  
Improbilas nullo flectitur obsequio.

Remedia in arduo, mala in  
prono esse.

X C I I.



Aetherijs postquam deiecit sedibus Aten  
Iuppiter, heu vexat quam mala noxa viros.  
Euolat hac pedibus celer & pernicibus alis,  
Intactumq; nihil casibus esse finit.  
Ergo Litæ proles Iouis hanc comitantur euntem,  
Sarturæ quicquid fecerit illa mali.  
Sed quia segnipedes, strabæ, lassæq; senectæ,  
Nil nisi post longo tempore restituerit.

Eloquentia fortitudine præ-  
stantior.

XCIII.



Arcum læua tenet, rigidam fert dextera clauam,  
 Contegit & Nemees corpora nuda leo.  
 Herculis hac igitur facies? non conuenit illud  
 Quòd vetus, & senio tempora cana gerit.  
 Quid quòd lingua illi leuibus traiecta catenis,  
 Queis fissa facileis allicit aure viros?  
 An'ne quòd Alciden lingua, non robore Galli  
 Præstantem populis iura dedisse ferunt?  
 Cedunt arma toga, & quamuis durissima corda  
 Eloquio pollens ad sua vota trahit.

J. S. XX. S. O.  
 E. P. E. M.  
 Caspary Lasser.  
 Dillingen.

In receptatores ficariorum. XCIII.



*Latronum furumq; manus tibi Scaeva per urbem  
 It comes, & diris cincta cohors gladijs.  
 Atq; ita te mentis generosum prodige censes,  
 Quòd tua complureis allicit olla malos.  
 En nouus Actæon, qui postquam cornua sumpsit,  
 In prædam canibus se dedit ipse suis.*

G

## Fidei symbolum.

XCV.



Stet depictus Honor Tyrio velatus amictu,  
 Eiusq; iungat nuda dextram Veritas:  
 Sitq; Amor in medio castus, cui tempora circum  
 Rosa it, Diones pulchrior Cupidine.  
 Constituunt haec signa fidem, reuerentia Honoris  
 Quam fouet, alit Amor, parturitq; Veritas.

I S S S  
 O P R  
 Quirinus s m h v  
 Besseckhamis

In vitam humanam.

XCVI.



Plus solito humana nunc desle incommoda vita,  
 Heraclite, scatet pluribus illa malis.  
 Tu rursus, si quando aliàs, extolle cachinnum  
 Democrite, illa magis ludicra facta fuit.  
 Interea hæc cernens meditor, qua deniq; tecum  
 Fine fleam, aut tecum quomodo splene iocer.

G 2

Est miser nemo nisi comparatus.

Valerius Fidelorus datise.

(Cubitus)

n. b. LVII.  
 vna sine libris meis.  
 Georg. Augustini  
 vinnii  
 1535

## In statuam Amoris.

XCVII.



Quis sit Amor plures olim cecinere Poëta,  
 Eius qui vario nomine gesta ferunt.  
 Conuenit hoc, quòd veste caret, quòd corpore paruus,  
 Tela alasq; ferens, lumina nulla tenet.  
 Hæc ora, hic habitusq; Dei est: sed diceret tantos  
 Si licet in vates, falsa subesse reor.  
 Ecce nudus agat? Diuo quasi pallia defint,  
 Qui cunctas domiti possidet orbis opes.  
 Aut qui quæso niues Boreamq; euadere nudus  
 Alpinum potuit, strictaq; prata gelu?



Si puer est, puerum'ne vocas qui Nestora vincit?  
 An nosti Ascræi carmina docta senis?  
 Inconstans puer, hic peruicax, pectora quæ iam  
 Trans adiit, nunquam relinquere sponte potest.  
 At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?  
 An curuare infans cornua dura valet?  
 Alas cur'ue tenet, quas nescit in æthera ferre?  
 Inscius in volucrum flectere tela iecur.  
 Serpit humi, semperq; virum mortalia corda  
 Lædit, & haud alas saxeus inde mouet.  
 Si cæcus vitamq; gerit, quid tænia cæco  
 Vtilis est? ideo num minus ille videt?  
 Quis'ne sagittiferum credat, qui lumine captus?  
 Hic certa, ast cæci spicula vana mouet.  
 Igneus est aiunt, versatq; in pectore flammis:  
 Cur agè viuit adhuc? omnia flamma vorat.  
 Quinetiam tumidis cur non extinguitur undis,  
 Naiadum quoties mollia corda subit?  
 At tu ne tantis capiare erroribus audi,  
 Verus quid sit Amor, carmina nostra ferent.  
 Lucundus labor est, lasciua per ocia, signum  
 Illius est, nigro punica glans clypeo.

Ei qui semel sua prodegerit, aliena credi  
non oportere. XCVIII.



*Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu  
Nescia cur pullos tam malè credis avis.  
Dira parens Medea suos seuisſima natos  
Perdidit, & speras parcat et illa tuis?*

Doctos doctis obloqui nefas  
esse.


X C I X.



Quid rapis heu Progne vocalem seu Cicadam,  
Pignoribusq; tuis fercula dira paras?  
Ac stridula stridulam, vernam verna, hospita ledis  
Hospitam, & aligeram penniger ales auem?  
Ergo abice hęc prædã, nã musica pectora summũ est  
Alterum ab alterius dente perire nefas.

G 4

Mulieris famam, non formam, vulga-  
tam esse oportere. C.



*Alma Venus quæ nam hæc facies, quid denotat illa  
Testudo, molli quam pede Diua premis?  
Me sic effinxit Phidias, sexumq; referri  
Fœmineum, nostra iussit ab effigie,  
Quodq; manere domi, & tacitas decet esse puellas,  
Supposuit pedibus talia signa meis.*


Bonis à diuitibus nihil timendum. C I.



Iunctus contiguo Marius mihi pariete, nec non  
 Subbardus, nostri nomina nota fori.  
 Aedificant bene nummati, sataguntq; vel vltro  
 Obstruere heu nostris vndiq; luminibus.  
 Me miserū, geminae quem tanquam Phineae raptant  
 Harpyiae, vt proprijs sedibus eijciant.  
 Integritas nostra, atq; animus quaesitor honesti,  
 His nisi sint Zetes, his nisi sint Calais.

J. S. S. O. G. S.  
 S. M. C.  
 Philip Jacob Borkh V  
 Borkhinsdorf


Consilio & virtute Chimeram superari, id est,  
fortiores & deceptores. CII.



Bellerophon vt fortis eques superare Chimeram,  
Et Licij potuit sternere monstra soli:  
Sicutu Pegaseis vectus petis aethera pennis,  
Consilioq; animi monstra superba domas.

.i. . 5. M. S. O.  
Gott vnd deri Ewig.  
azarfay (Sainfompans. @.  
AR

Tumulus Ioannis Galeacii Vicecomitis,  
 primi Ducis Mediol. CIII.




Pro tumulo pone Italiam, pone arma Ducesq;  
 Et mare, quod geminos mugit adusq; sinus.  
 Adde his Barbariem conantem irrumperè frustra,  
 Et mercede emptas in fera bella manus.  
 Anguiger ast summo sistens in culmine dicat:  
 Quis paruis magnum me super imposuit?



Optimus ciuis.

CIIII.



*Dum iustis patriam Thrasymbulus vindicat armis,  
 Dumq; simultates ponere quenq; iubet,  
 Concors ordo omnis magni instar muneris, illi  
 Palladiæ sertum frondis habere dedit.  
 Cinge comam Thrasymbule, geras hunc solus honorē:  
 In magna nemo est æmulus vrbe tibi.*


15. 56.

N. N. S. F.

Panthaleon Klein Rastph

In subitum terrorem.

C V.



*Effuso cernens fugientes agmine turmas,  
 Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.*

1 5 8 5 6  
 V T V  
 Julius Awerà Tobl  
 Amel. 25 August 17

APH



In adulari nescientem.

CVI.



Scire cupis dominos toties cur Thessalis ora  
 Mutet, & ut varios quærat habere duces:  
 Nescit adulari, cuiquam' ue obtrudere palpum,  
 Regia quem morem principis omnis habet.  
 Sed veluti ingenuus sonipes, dorso excutit omnem,  
 Qui moderari ipsum nesciat Hippocomon.  
 Nec seuire tamen domino fas. ultio sola est,  
 Dura ferum ut iubeat ferre lupata magis.

† . 5 . x . 56 . †

Nunc ego si posse vulpinas videre

Nimirum souis grati ubiq; forem.

Io: Christoph: Heyles Haidel:

bergensis.


## Insignia Poëtarum.

CVII.



Gentiles clypeos sunt qui in Iouis alite gestant,  
 Sunt quibus aut Serpens aut Leo signa ferunt:  
 Diras sed hæc Vatum fugiant animalia ceras,  
 Docta q; sustineat stemmata pulcher Olor.  
 Hic Phæbo sacer, et nostræ regionis alumnus,  
 Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.


Musicam Diis curæ esse. CVIII.



Locrensis posuit tibi delphice Phœbe cicadam  
 Eunomus hanc, palmæ signa decora suæ.  
 Certabat plectro Sparthyn commissus in hostem,  
 Et percussa sonum pollice fila dabant.  
 Trita fides rauco cœpit cum stridere bombo,  
 Legitimum harmonias & vitiare melos:  
 Tum citharæ argutans suavis sese intulit ales,  
 Quæ fractam impleret voce cicada fidem.  
 Quæq; allecta, soni ad legem descendat ab altis  
 Saltibus, ut nobis garrula ferret opem.  
 Ergo tuæ ut firmus stet honos, ô sancte, cicadæ,  
 Pro cithara hic fidicen æneus ipsa sedet.

In obliuionem pa-  
trix.

C I X.



Iam dudum missa patria, oblitusq; tuorum,  
 Quos tibi seu sanguis siue parauit amor,  
 Romam habitas, nec cura domum subit vlla reuerti,  
 Aeternae tantum te capit vrbis honos.  
 Sic Ithacum praemissa manus dulcedine loti  
 Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.

H

Vnum nihil, duos plurimum posse.

C X.




Laërta genitum, genitum quoq; Tydeos vnâ  
 Hac cera expressit Zenalis apta manus.  
 Viribus hic præstat, hic pollet acumine mentis,  
 Nec tamen alterius non eget alter ope.  
 Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est,  
 Solum mens hominem, dextra'ne destituit.

*Et for utraq;  
 To Er met' Enoū.  
 Christophor, Hister.  
 Biturigib; Gallarū.*

In aulicos.

CXI.



*Vana Palatinos quos educat aula clientes,  
Dicitur auratis ne tere compedibus.*

H 3

In mortem præprope-  
ram.

CXII.



Qui teneras forma allicuit torsitq; puellas,  
 Pulchrior & tota nobilis vrbe puer,  
 Occidit ante diem, nulli mage flendus Arestis  
 Quàm tibi, cui casto iunctus amore fuit.  
 Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris  
 Astruis, & querulis vocibus astra feris.  
 Me sine abis dilecte? neq; amplius ibimus vnà?  
 Nec mecùm in studijs otia grata teres?  
 Sed te terra teget, sed fati Gorgonis ora,  
 Delphinesq; tui signa dolenda dabunt.

Ἐχθρῶν ἀδωγὰ δῶγα. In do-  
na hostium.

C X I I I.



Bellorum cepisse ferunt monumenta vicissim  
Scutiferum Aiacen, Hectoraq; Iliacum.  
Balthæa Priamides, rigidum Telamonius enseni,  
Instrumenta suæ cepit vterq; necis.  
Ensis enim Aiacem confecit, at Hectora functum  
Traxere Aemonijs cingula nexa rotis.  
Sic titulo obsequij quæ mittunt hostibus hostes  
Munera, venturi præscia fata ferunt.

H 3



# Andreas Alciati Em-

B L E M A T V M L I B E R

S E C V N D V S .



In diuites publico malo. I.

*Anguillas quisquis captat, si limpida verrat  
Flumina, si illimes, ausit adire lacus,  
Cassus erit, ludetq; operam, multum excitet ergo  
Si creta, & vitreas palmula turbet aquas,  
Diues erit. sic ijs res publica turbida lucro est,  
Qui pace, arctati legibus, esuriunt.*

In Iuuentam. II.

*Natus vterque Iouis tener, atq; imberbis vterque,  
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele.  
Saluete, aeterna simul & florete inuenta,  
Numine sit vestro quae diuturna mihi.  
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,  
Ut lento accedat sera senecta pede.*

## In pudoris statuam.

I I I.

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlysssem,  
 Ni secum Icarius mallet habere pater.  
 Ille Ithacam, hic offert Sparten, manet anxia virgo.  
 Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.  
 Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos:  
 Ista verecundi signa pudoris erant.  
 Queis sibi pralatum Icarius cognouit Vlysssem,  
 Hocq; pudori aram schemate constituit.

## Sirenes.

I I I I.

Absque alis volucres, & cruribus absq; puellas,  
 Roſtro absq; & pisces, qui tamen ore canant,  
 Quis putet esse vllos? iungi hæc natura negavit  
 Sirenes, fieri sed potuisse docent.  
 Illicium est mulier, quæ in piscem desinit atrum,  
 Plurima quod secum monstra libido vehit.  
 Aspectu, verbis, animi candore, trahuntur,  
 Parthenope Ligia Leucosiaq; viri.  
 Has musæ explumant, has atq; illudit Vlysses,  
 Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

## Ficta Religio.

V.

Regali residens meretrix pulcherrima sella,  
 Purpureo insignem gestat honore peplum,  
 Omnibus & latices pleno è cratere propinat,  
 At circum cubitans ebria turba iacet.  
 Sic Babylona notant, quæ gentes illice forma,  
 Et ficta stolidas religionem capit.

H 4

## Gratiæ.

VI.

*Tres Charites Veneri assistunt, dominamq; sequuntur.  
 Hincq; voluptates, atq; alimenta parant.  
 Letitiam Euphrosyne, speciosum Aglaja nitorem,  
 Suadela est Pithus, blandus & ore lepos.  
 Cur nuda? mentis quoniam candore venustas  
 Constat, & eximia simplicitate placet.  
 An quia nihil referunt ingrati atq; arcula inanis,  
 Est Charitum? qui dat munera, nudus eget.  
 Addita cur nuper pedibus talaria? bis dat  
 Qui cito dat, minimi gratia tarda pretij est.  
 Implicitis vlnis cur vertitur altera? gratus  
 Fœnerat, huic remanent vna abeunte due.  
 Iuppiter ijs genitor, cœli de semine diuas  
 Omnibus acceptas edidit Eurynome.*

Antiquissima quæque com-  
 mentitia.

VII.

*Pellenæ senex, cui forma est histrica, Proteu,  
 Qui modo membra viri fers, modo membra feri,  
 Dic agè quæ species ratio te vertit in omnes,  
 Nulla sit vt vario certa figura tibi?  
 Signa vetustatis, primæui & præfero secli:  
 De quo quisque suo somniat arbitrio.*

## Prudentes.

VIII.

Iane bifrons, qui iam transacta futuraq; calles,  
 Quiq; retro sannus sicut & antè vides,  
 Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quòd  
 Circumspectum hominem forma fuisse docet?

## In fraudulentos.

IX.

Parua lacerta, atris stellatus corpora guttis  
 Stellio, qui latebras, & caua busta colit,  
 Inuidiæ paruiq; doli fert symbola pictus,  
 Heu nimium nuribus cognita Zelotypis.  
 Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,  
 Sit quibus immersus Stellio, vina bibat.  
 Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,  
 Quam formæ amisso flore relinquit amans.

## Luxuriosorum opes.

X.

Rupibus aërijs, summiq; crepidine saxi  
 Immites fructus ficus acerba parit:  
 Quos corui comedunt, quos deuorat improba cornix,  
 Qui nihil humanæ commoditatis habent.  
 Sic fatuorum opibus parasiti & scorta fruuntur,  
 Et nulla iustos vtilitate iuant.

## In desciscentes.

XI.

Quòd sine egregios turpi maculaueris orsus,  
 In noxamq; tuum verteris officium,  
 Fecisti, quod capra, sui mulctraria lactis  
 Cum ferit, & proprias calce profundit opes.

h s

## Ex damno alterius utilitas. XII.

*Dum sauis ruerent in mutua vulnera telis,  
Vngue leana ferox, dente timendus aper,  
Accurrit vultur spectatum, & prandia captat.  
Gloria victoris, præda futura sua est.*

## Male parta male dilabuntur. XIII.

*Miluus edax, nimie quem nausea torserat esca,  
Hei mihi mater ait viscera ab ore fluunt.  
Illa autem, quid fles? cur hæc tua viscera credas,  
Qui rapto viuens sola aliena vomis?*

## Scyphus Nestoris. XIII.

*Nestoreum geminis cratera hunc accipe fundis,  
Quod grauis argenti massa profudit opus.  
Clauiculi ex auro: stant circum quattuor anse:  
Vnamquaque super fulua columba sedet.  
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor.  
Meonide doceas quid sibi musa velit.  
Est cælum scyphus ipse. colos argenteus illi est:  
Aurea sunt cæli sidera clauiculi.  
Pleiadas esse putant, quas dixerit ille columbas.  
Umblici gemini, magna minorq; fera est.  
Hæc Nestor longo sapiens intelligit vsu.  
Bella gerunt fortes, callidus astra tenet.*

## Senex puellam amans. X V.

*Dum Sophocles, quamvis affecta aetate, puellam  
 A quaestu Archippen ad sua vota trahit,  
 Allicit & pretio, tulit agre insana iuventus  
 Ob Zelum, & tali carmine utrunque notat.  
 Noctua ut in tumulis, super utq; cadavera bubo,  
 Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.*

## Cauendum à meretricibus. X V I.

*Sole sata Circes tam magna potentia fertur,  
 Verterit ut multos in noua monstra viros.  
 Testis equum domitor Picus, tum Scylla biformis,  
 Atque Ithaci postquam vina bibere sues.  
 Indicat illustri meretricem nomine Circe,  
 Et rationem animi perdere, quisquis amat.*

Strenuorum immortale  
nomen. X V I I.

*Aeacidae tumulum Rhætaeo in littore cernis,  
 Quem plerunque pedes visitat alba Thetis.  
 Obtegitur semper viridi lapis hic amarantho,  
 Quod nunquam herous sit moriturus honos.  
 Hic Graium murus. magni nex Hectoris haud plus  
 Debet Meonide, quam sibi Meonides.*

## Concordia insuperabilis. XVIII.

*Tergeminos inter fuerat concordia fratres,  
Tanta simul pietas mutua, & vnus amor:  
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent  
Regna, vno dicti nomine Geryonis.*

## Cuculi.

XIX.

*Ruricolas agreste genus plerique cuculos  
Cur vocitent, quamam prodita causa fuit?  
Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore vites  
Qui non absoluit iure notatur iners.  
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille  
Cui thalamum prodit vxor adulterio.*

## Nobiles &amp; generosi.

XX.

*Aurea Cecropias necebat fibula vestes:  
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit:  
Calceus Arcadico suberat cui lunula ritu,  
Gestatur patribus mullea Romulidis.  
Indigenas quod se adsererent haec signa tulerunt  
Antiqua illustres nobilitate viri.*

## Ignauī.

X X I.

Ignauī ardeolam stellarem effingere serui  
 Et studia, & mores, fabula prisca fuit,  
 Quae famulum Asteria volucris sumpsisse figuram  
 Est commenta. fides sit penes historicos.  
 Degener hic veluti qui cauet in aere falco est  
 Dictus ab antiquis vatibus ardelio.

## Facundia difficilis.

X X I I.

Antidotum Aëæ medicata in pocula Circes  
 Mercurium hoc Ithaco fama dedisse fuit.  
 Moly vocant. id vix radice euellitur atra,  
 Purpureus sed flos, lactis & iustar habet.  
 Eloquij candor facundiaq; allicit omnes,  
 Sed multi res est tanta laboris opus.

## Infani gladius.

X X I I I.

Setigeri medius stabat gregis ensifer Ajax,  
 Cæde suum credens cedere Tantalidas.  
 Hostia sic tanquam sus succedanea pœnas  
 Pro Laërtiade, pro caueaq; dabat.  
 Nescit obesse suis furor hostibus, errat ab ictu,  
 Consilijq; impos in sua damna ruit.

Bonis auspiciis incipiendum. XXIII.

*Auspicijs res coepta malis, bene cedere nescit.  
 Felici quae sunt omine facta, iuuant.  
 Quidquid agis, mustela tibi si occurrat, omitte:  
 Signa male haec sortis bestia praua gerit.*

XII. certamina Herculis

ἑλληγορικῶς.

XXV.

*Roboris inuicti superat facundia laudes:  
 Dicta Sophistarum laqueosq; resoluit inanes.  
 Non furor, aut rabies virtute potentior vlla est:  
 Continuum ob cursum sapienti opulencia cedit:  
 Spernit auaritiam, nec rapto aut faenore gaudet:  
 Vincit, faemineos spoliatq; insignibus astus:  
 Expurgat sordes, & cultum mentibus addit:  
 Illicitos odit coitus, abigitq; nocentes:  
 Barbaries feritasq; dat impia denique paenam:  
 Vnius virtus collectos dissipat hostes:  
 Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris:  
 Docta per ora virum volat & non interit vnquam.*

In nothos.

XXVI.

*Herculeos spurij semper celebretis honores:  
 Nam vestri princeps ordinis ille fuit.  
 Nec prius esse deus potuit, quam suggeret infans  
 Lac, sibi quod fraudis nescia Iuno dabat.*

Sapientia humana stultitia  
est apud Deum. XXVII.

Quid dicā? quonam hoc compellē nomine monstrum?  
Biforme quod non est homo, nec est draco:  
Sed sine vir pedibus, summis sine partibus anguis,  
Vir anguipes dici, & homiceps anguis potest.  
Anguem pedit homo, hominē eructavit & anguis,  
Nec finis hominis est, initium nec est feræ.  
Sic olim Cecrops doctis regnavit Athenis,  
Sic & gigantes terra mater protulit.  
Hæc vafrum species, sed religione carentem,  
Terrena tantum quiq; curet, indicat.

In detractores. XXVIII.

Audent flagriferi matulæ, stupidiq; magistri  
Bilem in me impuri pectoris euomere:  
Quid faciam? reddam'ne vices? sed non'ne cicadam  
Ala vna obstreperam corripuisse ferar?  
Quid prodest muscis operosis pellere flabris?  
Negligere est satius, perdere quod nequeas.

Imparitas. XXIX.

Vt sublime volans tenuem secat aëra falco,  
Vt pascuntur humi graculus, anser, anas:  
Sic summum scandit super æthera Pindarus ingens,  
Sic scit humi tantum serpere Bacchilydes.

## Amuletum Veneris.

XXX.

Inguina dente fero suffossam Cypris Adonim  
 Lactuca folijs condidit ex animem.  
 Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit,  
 Quantum eruca salax vix stimulare potest.

## Cupressus.

XXXI.

Indicat effigies metæ, nomenq; cupressi  
 Tractandos parili conditione suos.

ALIVD.

Funesta est arbor, procerum monumenta cupressus,  
 Quale apium plebis, comere fronde solet.

ALIVD.

Pulchra coma est, pulchro digestæq; ordine frondes,  
 Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

## Quercus.

XXXII.

Grata Ioui est quercus, qui nos servatq; fouetq;  
 Servanti civem querna corona datur.

ALIVD.

Glande aluit veteres, sola nunc proficit umbra,  
 Sic quoque sic arbor officiosa Iouis.

15 A 5 7

Intra spines cubitoy  
 Quil: p. v. kel  
 Franco

## Laurus.

XXXIII.

*Præscia venturi laurus fert signa salutis.  
Subdita puluillo somnia vera facit.*

A L I V D.

*Debetur Charolo superatis laurea Pœnis:  
Victrices ornent taliaserta comas.*

## Abies.

XXXIII.

*Apta fretis abies in montibus editur altis:  
Est & in aduersis maxima commoditas.*

## Picca.

XXXV.

*At picea emittat nullos quòd stirpe stolones,  
Illius est index, qui sine prole perit.*

## Cotonea.

XXXVI.

*Poma nouis tribui debere cydonia nuptis  
Dicitur antiquus constituisse Solon.  
Grata ori & stomacho cum sint, vt & halitus illis  
Sit suauis, blandus manet & ore lepos.*

## Ilex.

XXXVII.

*Duritie nimia quòd sese rumperet ilex,  
Symbola civilis seditionis habet.*

I

## Hedera.

XXXVIII.

*Haudquaquam arescens hedera est arbuscula, Cisso  
 Quae puero Bacchum dona dedisse ferunt:  
 Errabunda, procax, auratis fulva corymbis,  
 Exterius viridis, cetera pallor habet.  
 Hinc aptis vates cingunt sua tempora sertis:  
 Palescunt studiis, laus diuturna viret.*

## Buxus.

XXXIX.

*Perpetuo viridis, crissoq; cacumine buxus,  
 Unde est disparibus fistula facta modis,  
 Delicijs apta est teneris, & amantibus arbor.  
 Pallor inest illi, pallet & omnis amans.*

## Malus medica.

XL.

*Aurea sunt Veneris poma haec, iucundus amaror  
 Indicat, est Graecis sic glycypticos amor.*

## Populus alba

XLI.

*Herculeos crines bicolor quod populus ornet,  
 Temporis alternat noxq; diesq; vices.*

## Salix.

XLII.

*Quod frugisperdam salicem vocitarit Homerus,  
 Clitorijs homines moribus adfruat.*

## Amygdalus. XLIII.

*Cur properans folijs præmittis amygdale flores?  
Odi pupillos præcoci ingenij.*

## Morus. XLIII.

*Serior at Morus nunquam nisi frigore lapsa  
Germinat, & sapiens nomina falsa gerit.*

Litera occidit, spiritus  
viuificat. XLV.

*Vipereos Cadmus dentes vt credidit aruis,  
Seuit & Aonio semina dira solo,  
Terrigenum clypeata cohors exorta virorum est,  
Hostili inter se qui cecidere manu.  
Euasere quibus monitu Tritonidos armis  
Abiectis data pax, dextraq; iuncta fuit.  
Primus Agenorides elementa notasq; magistris  
Tradidit, ijs suauem iunxit & harmoniam.  
Quorum discipulos contraria plurima vexant,  
Non nisi Palladia quæ dirimuntur ope.*

## Salus publica. XLVI.

*Phœbigena erectis Epidaurius insidet aris,  
Militis & immani conditur angue Deus.  
Accurrunt egri, veniatq; salutifer orant:  
Annuit, atq; ratas efficit ille preces.*

## Respublica liberata.

XLVII.

*Cæsaris exitio ceu libertate recepta,  
Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit,  
Ensiculi in primis, queis pileus insuper adstat,  
Qualem missa manu seruitia accipiunt.*

## Aduersus naturam peccantes. XLVIII.

*Turpe quidem factu, sed & est res improba dictu,  
Excipiat si quis chænice ventris onus.  
Mensuram legisq; modum hoc excedere sanctæ est,  
Quale sit incesto pollui adulterio.*

## Furor, &amp; rabies.

XLIX.

*Ora gerit clypeus rabiosi picta leonis,  
Et scriptum in summo margine carmen habet:  
Hic hominum est terror, cuius possessor Atrida  
Talia magnanimus signa Agamemno tulit.*

## Nupta contagioso.

L.

*Dij meliora püs, MeZenti. cur agè sic me  
Compellas? emptus quòd tibi dote gener,  
Gallica quem scabies, dira & mentagra perurit.  
Hoc est quidnam aliud, dic mihi sæue pater,  
Corpora corporibus quàm iungere mortua viuü,  
Efferaq; Etrusci facta nouare ducis?*

## Confiliarii Principum.

L I.

Heroum genitos, & magnum fertur Achillem  
 In stabulis Chiron erudisse suis.  
 Semiferum doctorem, & semivirum centaurum,  
 Assideat quisquis regibus, esse decet.  
 Est fera, dum violat socios, dum proterit hostes:  
 Estq; homo, dum simulat se populo esse pium.

Νῆφε, ἡγεῖ μέμνησ' ἀπιστεῖν. ἄρδρα  
 ταῦτα τῶν φρενῶν. L I I.

Ne credas, ne, Epicharmus ait, non sobrius esto.  
 Hi nervi, humane membraq; mentis erunt.  
 Ecce oculata manus credens id quod videt, ecce  
 Pulegium antiquæ sobrietatis olus,  
 Quo turbam ostenso sedauerit Heraclitus,  
 Mulxerit & tumida seditione grauem.

Πῆ παρτίβην; τί δ' ἐρέξας; τί μοι  
 δέου, ὅκ' ἐτελείσθαι; L I I I.

Italice Samius sectæ celeberrimus auctor  
 Ipse suum clausit carmine dogma breui.  
 Quo prætergressus? quid agis? quid omittis agendum?  
 Hanc rationem vrgens reddere quenq; sibi.  
 Quod didicisse gruam volitantum ex agmine fertur,  
 Arreptum gestant quæ pedibus lapidem,  
 Ne cessent, neu transuersas mala flamina raptent.  
 Qua ratione hominum vita regenda fuit.

I 3

Ἀνέχου ἢ ἀπέχου.

LIIIF.

Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est,  
 Et nimium felix saepe timenda fuit.  
 Sustine, Epictetus dicebat, & abstine. oportet  
 Multa pati, illicitis absq; tenere manus.  
 Sic ducis imperium vincetus fert poplite taurus  
 In dextro, sic se continet à gravidis.

In fordidos,

L V.

Que roſtro dyltere velut sibi proluit aluum  
 Ibis, Niliacis cognita litoribus,  
 Transijt opprobrij in nomen, quo Publius hostem  
 Naso suum appellat, Battiadesq; suum.

In colores.

LVI.

Index mæſtitie est pullus color, utimur omnes  
 Hoc habitu tumulis cum damus inferias:  
 At ſynceri animi, & mentis stola candida pura.  
 Hinc ſindon ſacris linea grata viris.  
 Nos sperare docet viridis, spes dicitur esse  
 In viridi, quoties irrita retro cadit.  
 Est cupidis flavus color, est & amantibus aptus,  
 Et ſcortis, & queis spes sua certa fuit.  
 At ruber armatos equites exornet amictus,  
 Indicet & pueros erubuisse pudor.  
 Cæruleus nautas, & qui cælestia vates  
 Attoniti nimia religione petunt.

*Vilia sunt giluis natiuaq; vcllera birris,  
 Qualia lignipedes stragula habere solent.  
 Quem curæ ingentes cruciant, vel Zelus amoris,  
 Creditur hic fulua non male veste tegi.  
 Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet,  
 Fortunæ equanimis tadia quiq; ferat.  
 Vt varia est natura coloribus in gignendis,  
 Sic alijs aliud, sed sua cuiq; placent.*

## Vigilantia, &amp; custodia. L V I I.

*Instantis quòd signa canens det gallus eoi,  
 Et reuocet famulas ad noua pensa manus,  
 Turribus in sacris effingitur. ærea mentem  
 Ad superos peluis quòd reuocet vigilem,  
 Est leo, sed custos oculis quia dormit apertis,  
 Templorum iccirco ponitur ante fores.*

## Dicta v i i. sapientium. L V I I I.

*Hæc habeas, septem sapientum effingere dicta,  
 Atq; ea picturis qui celebrare velis.  
 Optimus in rebus modus est, Cleobulus vt inquit,  
 Hoc trutinæ examen, siue libella docet.  
 Noscere se Chilon Spartanus quenq; inbebat.  
 Hoc specula in manibus, vtraq; sumpta dabunt.  
 Quod Periander ait, fræna adde Corinthius iræ  
 Pulegium admotum naribus efficiet.  
 Pittacus at ne quid dixit nimis. hæc eadem aiunt,  
 Contracto qui gith ore liquefaciunt.*

*Respexisse Solon finem iubet vltimus agris,  
 Terminus haud magno cesserit ipse Ioui.  
 Heu quàm vera Bias, est copia magna malorum  
 Musimoni insideat effice sardus eques.  
 Ne præs esto Thales dixit, sic illita visco  
 In laqueos sociam parra, merops q; trahit.*

## Terminus.

LIX.

*Quadratum infoditur firmissima tessera saxum,  
 Stat cirrata super pectore imago tenus,  
 Et sese nulli profitetur cedere. talis  
 Terminus est, homines qui scopus vnus agit.  
 Est immota dies, praefixaq; tempora fati,  
 Deq; ferunt primis vltima iudicium.*

## In dies meliora.

LX.

*Rostra nouo mihi setigeri suis obtulit anno,  
 Hecq; cliens ventri xenia dixit habe.  
 Progreditur semper, nec retro respicit vnquam,  
 Gramina cum pando proruit ore vorax.  
 Cura viris eadem est, ne spes sublapsa retrorsum  
 Cedat, & vt melius sit, quod & vltimus.*

## Luxuria.

LXI.

*Eruca capripes redimitus tempora Faunus  
 Immodicæ Veneris symbola certa refert.  
 Est eruca salax, indexq; libidinis hircus,  
 Et satyri nymphas semper amare solent.*

## Superbia.

LXII.

*En statua statua, & ductum de marmore marmor  
 Se conferre deis ausa procax Niobe.  
 Est vitium muliebre superbia, & arguit oris  
 Duritiem, ac sensus, qualis inest lapidi.*

## Desidia.

LXIII.

*Desidet in modio Essæus, speculatur & astra,  
 Subtus & accensam contegit igne facem.  
 Segnities specie recti, velata cucullo,  
 Non se, non alios vtilitate iuuat.*

## Inuidia.

LXIII.

*Squallida vipereas manducans fœmina carnes,  
 Cuiq; dolent oculi, quæq; suum cor edit,  
 Quam macies, & pallor habent, spinosaq; gestas  
 Tela manu, talis pingitur inuidia.*

## Auaritia.

LXV.

*Heu miser in medijs sitiens stat Tantalus vndis,  
 Et poma esuriens proxima habere nequit.  
 Nomine mutato de te id dicetur auare,  
 Qui, quasi non habeas, non frueris quod habes.*

I 5

## Gula.

LXVI.

*Curculione gruis tumida vir pingitur aluo,  
 Qui laurum, aut manibus gestet onocrotalum.  
 Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,  
 Et gula quos celebres deliciofa facit.*

## Maledicentia.

LXVII.

*Archilochi tumulo insculptas de marmore vespas  
 Esse ferunt, linguae certa sigilla mala.*

## Contra.

*Vesparum quod nulla vnquam Rex spicula figet,  
 Quodq; alijs duplo corpore maior erit,  
 Arguet imperium clemens, moderataq; regna,  
 Sanctaq; iudicibus credita iura bonis.*

## Aemulatio impar. LXVIII.

*Altiuolam miluus comitatur degener harpam,  
 Et praeda partem saepe cadentis habet.  
 Nullum prosequitur qui spretas sargus ab illo,  
 Praeteritasq; auidus deuorat ore dapes.  
 Sic mecum Oenocrates agit: at deserta studentum  
 Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.*

## Ira.

LXIX.

*Alceam veteres caudam dixere leonis,  
 Qua stimulante iras concipit ille graues.  
 Lutea cum surgit bilis, crudescit & atro  
 Felle dolor, furias excitat indomitas.*

## Philautia.

L X X.

Quòd nimium tua forma tibi Narcisse placebat,  
 In florem, & noti est versa stuporis olus.  
 Ingenij est marcor, cladesq; philautia, doctos  
 Quae pessum plures datq; deditq; viros,  
 Qui veterum abiecta methodo, noua dogmata quarunt,  
 Nilq; suas praeter tradere phantasias.

## Lasciuia.

L X X I.

Delicias, & mollitiem mus creditur albus  
 Arguere, at ratio non sat aperta mihi est.  
 An quòd ei natura salax, & multa libido est?  
 Ornat Romanas an quia pelle nurus?  
 Sarmaticum murem vocitant plerique Zibellum,  
 Et celebris suauis est vnguine muscus Arabs.

## Temeritas.

L X X I I.

In praecipit rapitur, frustra quoq; tendit habenas  
 Auriga, effrangi quem velit oris equus.  
 Haud facile huic credis, ratio quem nulla gubernat  
 Et temere proprio ducitur arbitrio.

## Garrulitas.

L X X I I I.

Quid matutinos Progne mihi garrula somnos  
 Rumpis, & obstrepero Dauias ore canis?  
 Dignus epops Tereus, qui maluit ense putare  
 Quam linguam immodicam stirpitus eruere.

Vino prudentiam augeri. LXXIIII.

Hæc Bacchus pater, & Pallas communiter ambo  
 Templa tenent, soboles utraque vera Iouis:  
 Hæc caput, ille femur soluit: huic usus oliui  
 Debitus, inuenit primus at ille merum.  
 Iunguntur merito. quòd si qui abstemius odit  
 Vina, deæ nullum sentiet auxilium.

Prudens, sed infacundus. LXXV.

Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis  
 Inter aues sani noctua consilij.  
 Armiferae merito obsequijs sacrata Minervæ est,  
 Garrula quo cornix cesserat antè loco.

Vis naturæ. LXXVI.

Pana colunt gentes, (naturam hoc dicere rerum est)  
 Semicaprumq; hominem, semiuirumq; Deum.  
 Vir tenuis umblico est, hominũ quòd propria virtus  
 Corde, oriens celsa verticis arce sedet.  
 Hinc caper est, quia nos naturam in secla propagat  
 Concubitu, ut volucres, squamea, bruta, feras.  
 Quod commune alijs animantibus, est caper index  
 Luxuriæ, Veneris, signaq; aperta gerit.  
 Cordi alijs sophian, alijs tribuere cerebro.  
 Inferiora modus, nec ratio vlla tenet.

## Ars naturam adiuuans. L X X V I I.

*Vt Fortuna pile, cubo sic insidet Hermes:  
 Artibus hic, varijs casibus illa præest.  
 Aduersus vim Fortune est ars facta: sed artis  
 Cum Fortuna mala est, sæpe requirit opem.  
 Disce bonas artes igitur studiosa iuuentus,  
 Quæ certæ secum commoda sortis habent.*

## Fatuitas. L X X V I I I.

*Miraris nostro quòd carmine diceris Otus,  
 Sit vetus à proavis cum tibi nomen Otho.  
 Aurita est, similes & habet ceu noctua plumas,  
 Saltantemq; auceps mancipat aptus auem.  
 Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos,  
 Hoc tibi conueniens tu quoque nomen habe*

## Dolus in suos. L X X I X.

*Altilis allestator anas, & cærulea pennis  
 Adsueta ad dominos ire redire suos,  
 Congeneres cernens volitare per aëra turmas,  
 Garrit, in illarum se recipitq; gregem,  
 Prætensa incautas donec sub retia ducat.  
 Obstrepitant captæ, conscia at ipsa filet.  
 Perfida cognato se sanguine polluit ales,  
 Officiosa alijs, exitiosa suis.*

Nil reliqui.

LXXX.

Scilicet hoc deerat, post tot mala denique nostris  
 Locustæ ut raperent, quidquid inesset, agris.  
 Vidimus innumeras euro duce tendere turmas,  
 Qualia non Atylæ castra'ue Xerxis erant.  
 Hæ scenum, milium, corda omnia consumpserunt,  
 Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

Inanis impetus.

LXXXI.

Lunarem noctu, ut speculum, canis inspicit orbem:  
 Séque videns, alium credit inesse canem,  
 Et latrat: sed frustra agitur vox irrita ventis,  
 Et peragit cursus surda Diana suos.

In garrulum &amp; gulosum.

LXXXII.

Voce boat torua, præ largo est gutture, rostrum  
 Instar habet nasi multiformisq; tubæ.  
 Deformem rabulam, addictum ventriq; gulaq;  
 Signabit, volucer cum truo pictus erit.

Opulenti hæreditas.

LXXXIII.

Patroclum falsis rapiunt hinc Troës in armis,  
 Hinc socij, atque omnis turba Pelasga vetat.  
 Obtinet exuias Hector, Græciq; cadaver,  
 Hæc fabella agitur, cum vir optimus obit.  
 Maxima rixa oritur, tandem sed transigit heres,  
 Et coruis aliquid, vulturijq; sinit.

Mediolanum.

L X X X I I I I.

*Bituricis veruex, Heduis dat sacula signum.*


*His populis patriæ debita origo mea est,  
Quam Mediolanum Sacram dixere puella  
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua sonat.  
Culta Minerva fuit, nunc est, ubi numine Tecla  
Mutato matris virginis ante domum.  
Laniger huic signum sus est, animalq; biforme  
Acribus hinc setis, lanitio inde leui.*

Nunquam procrastinan-  
dum.

L X X X V.

*A L C I A T A E gentis insignia sustinet alce,  
Vnguibus & μὴ δ' ἔρ fert ἀναβαλλομένη &.  
Constat Alexandrum sic respondisse roganti,  
Qui tot obiisset tempore gesta breui:  
Nunquã, inquit, differre volēs, quod & indicat alce:  
Fortior hæc dubites ocyor an'ne fiet.*






L



47.113

AB:47113

Tresor



# CLARISSIMI

VIRI D. ANDREAE

ALCIATI EMBLE-  
MATVM LIBRI

DVO.

\*



*Joan. Jacobi*


LVGDVNI,  
Apud Ioan. Tornæsium, & Gu-  
lielmum Gazeium.

1549.

*D. Joanni Alciato  
D. V. de  
re  
A. 1549. Birmingham.*

x-rite

colorchecker



MSCCPPCC0319

2019 Edition

